

ILLVSTRISSIMO PRÆSVLI, ET
 HEROI PRÆSTANTISSIMO D. D. GEORGIO
 à Taide, S. C. R. M. Consiliario, eiusdemque Capellano Maximo, & Con-
 scientiæ Præsidi amplissimo. Franciscus de Caldas Pereira I. C.
 Salutem, & perpetuam foelicitatem.



SEPE numero mecum cogitavi (Præsul Illustrissime) cum libros nostros, quos de Ciuili disciplina cōcinnaui in lucem, & theatrum doctorum hominū ædè distinare, cui potissimum Mecenati, aut magni nominis viro eos dedicarem. Vetus hic fuit mos, & institutum antiquorum scriptorum, qui lucubrations suas magnatibus & plerunque Regibus, aut summis principibus inscribere consueverunt, quò excelsi nominis patrocinio, ab inuidorum, calumnijs, morsibusq; protegerentur. Etenim ij sapientiam, omniumque disciplinarum cultores maximis honoribus, præmijsque satis abundè cumulabant, & præclari nominis auspicio obrectantium inuidiam facile depellebant, operique dignitatem, & gloriam non vulgarem conciliabant. Quam ob rem honestum, gloriosumque semper existimarunt scriptores, monumenta sua, quibus posteritatis memoriam, immortalitatemque affectabant, summo Principi, aut heroi inscribi, aut consecrari. Multa huius rei Regum, Imperatorumque exempla, gravissimi authores literis prodiderunt. Sic Julius Póllux ad Commodum Cæsarem de re Grāmatica, Vitruuius, ad Augustū de Architectura, Oppianus ad Antoniū de Piscibus, Diophanes ad Deiotarū Regem de Agricultura, Plinius de Naturali historia, ad Vespasianū suū scripserunt. Quā ob rem cum nostros de Ciuili sapientia, libros contexerē, & diuulgare intenderem, tibi heros illustrissime, illos dicare constitui: cum ea sit apud omnes gentes, tui nominis gloria, is sanguinis splendor, ea eruditionis, & prudentiæ admiratio, & illustrissimarum virtutum tuarum ac sanctimonix, apud omnes peruulgata opinio, vt ab omnibus studiosis literarū monumēta, & præclara encomia, quibus nullam iacturam temporum iniquitas, nullam perniciem calamitas, nullam oblivionem aternitas afferre valeat, iure suo quasi debita exposcere videantur. Quam ob rem admirabile perfectò, & longè honestissimos optimorum studiorum fructus, illi ante alios in hac vita percepisse existimantur, qui omnes ingenij, facultates, in id maxime opus, sanctissimo sine proposito, contulerunt, quò & prodesse mortalibus ingenuo labore possent, & sui memoriam præclaro literarum testimoniò posteris commendare niterentur. Etenim in hac vita, quam natura breuis æui angustiis, humano generi præscripsit, nihil beatius esse potest, quam nominis famam, immortalibus inuicti animi monumentis, ad non incertam spem sempiternæ laudis propagasse. Hac opinione, ab ipsa statim adolescentia imbuti, & post aliquot annos, magis, ac magis non ignobili ratione confirmati, impellente genio, aliquid scribendi, intermisso paululum aduocationis officio, quo per plures annos non sine laude perfuncti sumus, cum animus in negotijs forensibus, certiore aliquantulū quæstu, gloriaque versaretur, ad scribendum omne studium, diligentiamque contulimus. Superiore igitur anno, cum propter huius Regni turbationes, & factiosorum seditiones, me Braccaram contulissem, nec ea ciuitas ab his quò que tumultibus vacaret, vt liberius philosophari liceret, recepi me in villam quandam, tum salubrem, tum amœnam, vbi cum me procul à reipub. tumultibus, repositum animaduertirem, ne vitam silentio transigerē, sed otij quoque rationem redderem, mecumque meditari capissem, quam potius inculcaram, iuris prudentiæ partem, pertractarem: reperimus inter schedas nostras, commentaria quædam, à nobis prima veluti satura ædita, quasi situ, & puluere obducta, quæ paucis retro annis, dum iura ciuilia in celebratissima Colymbricensi Achademia, publicè interpretarer, in diuorum Diocletiani, & Maximiani, Imp. sanctionem, in l. sicuratorem habens, C. in integ. de restit. min. & in l. vnica, C. ex delictis, defunctorum, in quantum hæredes conueniantur: & in l. cum oportet, C. de bo. que libe. & rursus in titulum instit. de inofficioso testamento, aliquantulum diligentius elucubraueram. Cum autem propter lectum, causarumque vacationem, locique quò degebamus opportunitatem, maturius aliquid scribendi, nobis tributa videretur occasio, incelsit mihi cupido, quasi feriatas corporis sensibus, primum restitutionis materiam, altèius exactiusque inuestigandi: manumque, operi admoentes, ad eò creuit reatum moles, & structura, vt si præcipuas tantum quæstiones attingeremus, quicquam consultò prætermittentes, alijs quoque quæ desiderabantur, grauissimam injuriam, de restitutione minorum initio operis, disputationem profitentes, facere videremur. Non dubito multa, in his uostris scriptis deesse: multa etiam prætermissa, ad restitutionis materiam, inofficiosique tractatum & peculiarium diuisionem spectantia: hancque tractationem, diligentiorè multò scriptorem desiderare: sed pictores consummatissimos, & insignes pingendi, fingendique conditores immitabor: qui solent in libellis, absoluta opera, & illa quoque, quæ mirando non satiamur, pendenti titulo inscripsisse: (Apelles faciebat, aut Polycterus) tanquam inchoata semper arte, & imperfecta, vt contra iudiciorum varietates, superest et artificio, regressus ad ventam, velut emmendaturò, quicquid desideraretur, si non esset interceptus. Quare plenum verecundiæ illud est, quod omnia opera, tanquam nouissima inscribere, & tanquam

singulis fato adempti. Quā ob rem id quodcūque vitij est, vel ignauia nostrā, vel etiam tēporum iniurie, & calamitati piē tribuendum est: in quibus, hominē studiosum, qui de re literaria cogitare, aut quicquā ingenio moliri, aut meditari possit, reperiri difficillimum sane arbitror. Ita enim, his proximis annis vniuersum hoc Lusitanā Regnum, fatis impellentibus funestissima belli clades, & tēpestas affixit, ac cōuulsit, ita Antonianā factionis efferata rabies, ac publicā pacis perturbatorum furor, rapina, extorsiones, facculataque latrocinia, ex omnium animis quietē, tranquillitatēque profelligerunt, vt in tam ancipiti, dubioq; rerum statu, planē fatuus videretur, quem fatalis hęc calamitas, grauius non commouisset: quem tristissimi illius tēporis iniuria, & infelicitas non magnopere perturbasset, eiq; omnem scribēdi suauitatem, otiumq; intercepisset. Omnia passim tumultibus, & seditionibus furētis popularis multitudinis, ætuabant: omnia cōplicum odijs, armisq; conuulsa misere agitabantur. Denique vniuersa regni quietas, quasi intellini belli procellis desflagrabit. Omitto recensere plura, & in numerata mala, quæ nobis inuenit popularis iniquitas, & multitudo, nobilitatis destituta præsidio, paucorum hominum nepharia, & flagitiosa coniurationis insolentia, atq; proterua inflāmata: sed nisi Christi Optimi Maximi assertoris, ac vindicis, generis humani, clementia huius florentissimæ vrbs, casum pertæsa, & Lusitanæ gentis calamitates, sortemq; miserata, impletyrannidis, ac rebellium audaciam represisset, & crudelissimorum hostium tyrānidem, atq; immanitatē, in omnium ciuium nostrorum perniciem, stragemq; redundaturam, tum benignitate sua, tum Cæsareæ Magestatis vigilia, prudentiaq; retinisset, latēq; furentem, & iam liberius exultantē sāmam, diuina providentia restinisset: vtique, periculum erat, ne tristissimam ruinam traheremus. Proh Deum immortalem! quæ clades ab illa hominum feritate, quæ calamitates emanasset: si ista rebellionis capita, teterrimæ coniurationis socios, quasi quasdam rapidissimas belluas, in huius regni penates, immittere potuissent! horret animus profecto, horret, præteritas calamitates recensere, ac ea cogitatione cōplecti, quæ miseri pertulisse mus, si sopor Catholicæ Magestatis oculos paulisper detinisset. Nec tam prestō adesse potuit Cæsaris subsidium, aduersus improbā factiosorum audaciam, quin prius ipsi patriæ hostes, quietem, Regniq; otium non cōturbauerint, & in numeras calamitales attulerint. Vidimus passim horum flagitiosa temeritate, depopulatas, vexatasq; vrbes: funditus euersas prouincias: deuastatas ciuitates: exinanitas domus, sana, tēplaq; direpra: araria cōpilata, proculcatas segetes: abacta pecora: construpatas virgines: destructa oppida: latrociniiis infestatas vrbes: proscripita ciuium bona, qui Cæsarianas partes insecuti, improborū odijs prætextu fractæ fidei, immerito quasi pecudes, ad lanienā ducobantur. Ea fuit profecto funestissima, ac nepharia coniurationis atrocitas, ea patrati sceleris culpa, & atrocissimi facinoris grauitas, ea criminis proterua, vt difficilior, in hac re finē, quam principiū, nostra sit habitura oratio. Iam verò, tam varia regni mutatio, & quasi nutātis fortunæ vicissitudo, & Africi belli clades, & excidū, cuius animū non grauius vulnerauit? me autē hęc quoq; acerba fatorum iniquitas, adeo grauius perculit, vt nisi rationis clauus, aduersus quoscūq; impia sortis iētus, animū, pectusq; telis imperiū confirmasset, parū abfuerit, quin quasi cōsternatū inuidorum fluctibus submergeretur. Etenim hęc meditantē, & has locubrationes extergentē, rumor aduētus Antoniani exercitus, me in villa sua ierusticantē, sedem mutare, ac solum vertere coegit direptis bonis & amissa nostrarū facultatū non exigua parte, quas impij rebelles diripuerunt. Iam non salutis spem, sed iacturæ solatiū quærebam. Quam ob rē his rerum successibus agitati, nostrorū studiorum quiete non parū perturbata, nec quod optabamus in his cōmentarijs perfecimus, nec opus inchoatum de Restitutione minorū, & de Inofficioso testamento, postrema manu, omnibusq; numeris absoluere potuimus. Etenim quasi sauisissima tēpestate acti, vētis impellentibus, non destinatū portum, quò puppim dirigebamur, sed quē nobis fortuna obtulit, breui emensa nauigatione appulimus. Offerimus tibi ergo, Presul illustrissimē, ac consecramus nostros hos cōmentarios de ciuili disciplina, quos aduersos exactissimi iudicii tui radijs, probandos apponimus, vt solent Aquilæ (quæ vt Plinius, aliiq; authores referunt) pullos suos recenter aditos in solis splendore educunt, qui si obtutu, defixa oculorū acie solē aspiciunt, eos tanquam legitimos, & genuinos in nidum reducunt: sin vero cōnuentibus oculis, solis fulgor aciem perstringat, eos tanquā illegitimos, & adulterinos precipitant, & abiiciunt. Quam ob rē idem nobis, in hoc opere faciendū putamus, vt si cōmentarius iste nostris non dignus, eruditū hominis ingenij partus, à te improbetur, dilaceretur, ac disrupatur: sin autem approbatione dignus videatur, tua singulari virtute, ac modestia, qua cæteros sapientia antistes ante ellis, illum castigatiorē, tanquam Zygostates, lydio lapide, probatum, adendū, diuulgandumq; labores. Quam diligentia, & industria, in his lucubrationibus adhibuerim, quicquid; sano animo iudicanerit, facile æstimabit. Eas sæpius, repetita lectione, sub incudē reddegimus, & ante indolatas, indigestasq; in ordinē redximus, quo castigatores tui inclyti, ac præclarissimi nominis auspicio, in lucem prodirent. Accipitur igitur Presul illustris, literariū munus, quod tibi tui studiosissimus offert, non auro, gemisq; pretiosum sed quale summis Heroibus (qualis tu es) à sapientia sectatoribus passim offerri, ac missitari consuevit: hoc nomine multò pluris æstimandū, quātò sapientia, auro, gemisq; pretiosior est. Iure ergo te patronū ac protectorē nostrum elegimus. Quis enim nostrā tēpestate, in publicis, vel priuatis actionibus, aut in rebus agendis, vel administrandis, te consilio, ac prudentia grauior, vt merito Fabium illū Romanū æque vel potius superes? Iam vero ipsius iuris, ac veræ iustitiæ obseruantia ipsi Aristidi te parē fecit: ipsius aut sacre Phylosophiæ scientia, & omnium bonarū artium disciplina, diuinis vatibus, ac sanctissimis patribus (quorum doctrina Christi Opt. Max. ecclesia illustrata est) adæquauit. Adhæc si sanguinis splendore contemplerur: si generis claritatem intueamur, ab ipsis Lusitanæ Regibus altē deducto stēmate originē duxisse, immo cum ipsis cōmunem reperiemus: vt interim silentio præmittā, sublimes animi tui dotes, ac ornamenta, quæ in te natura parens copiosa (quod aiunt) manu effudit. Non dicā, quā grauius Presulis Cōsciētia Senatū, ac susceptæ dignitatis habenas regas ac modereris, vt merito dicere possimus. Illud gaudet

— gaudet iuga/lorā tenentur |
 Solerti correpta manu/quadriga magistri |
 Sentit onus —

Iam vero quanta gravitate, ac modestia impleas augustā istam pastoralē trabeam, & Episcopales infulas? Non immerito igitur te omnes boni diligunt, omnis nobilitas intuetur omnis Lusitania laude, & prædicatione celebrat. Amplissimum hoc vr̄bis domicilium tuæ beneficentiæ & liberalitatis incrementis exultat, nobiles tua quotidie sentiunt munera, nec maiora desunt sperare indies, reliqui populares in tua fide, liberalitate, fauore, misericordiaq; conuiescunt. Te prædicat patrē patriæ, Reip. maximū conseruatorē. In columnitatis publicæ protectorem, ac defensorē eximiū. Prodiens in publicū, populi congratulantis, audis semper lætas acclamationes: & vulgi iucundæ voces, fausta tibi ominantis, aures tuas circumsonant. Quid ultra? Sum Presul ampliss. quasi mare profundū, & immensum tuarum laudū ingressus, quarum altitudine, si de his pro dignitate quis velit differere, omnis humana dicendi ratio, atq; facultas, omnis orationis vb̄ertas obsecretur necesse est. Incutiunt tot, tātaq; in te virtutū, & veræ nobilitatis, & christianæ religionis, ac integritatis ornamenta, summā mentibus admirationem: opprimunt, magnitudine sua, cogitationes humanas: linguā timidam, & hæsitantem reddunt. Quis enim mitram istam episcopalem, tam benè tuo capiti, tanta gravitate, authoritatēq; circumseptam, nō verebitur ac pertimescet? Quē non rapiet in summā admirationem, candida hæc clamys, hoc ipso vel prætiosissimis Regū purpuris anteponenda? Quis nō mirabitur tā reconditam diuini cuiusdam pectoris doctrinā, tam absolutā religionem, tam perfectā, verēq; Christianam pietatem, cum vera modestia coniunctā, sub tam sereno vultu delitescentem? Iam vero post emeritam in sacris Theologiæ studiis gloriosam lauream (ne quicquā ex prioris vitæ actionibus prætermittā) ad Episcopale dignitatē promotus, Visen sem̄ ecclesiā per aliquot annos, adeo cum summa laude, & fructu prudētissimè gubernasti, vt diffluentes ciuicū mores ad sueriorē vitæ disciplinā & institutum reformaueris, ac salutaribus præceptis, doctrinaq; deuinxeris, ipsamq; ciuitatem plurimis beneficiis cumulaueris, scientia, vitæq; sanctimonia, & optima viuendi ratione, consilioq; stabilieris: Demum vt diuinarū rerum contēplationi liberius vacares, Episcopatum diuitiis, opibusq; contemptis sponte, abdicasti, honores repudiasti, & dignitatis prærogatiuam exuisti. Sed cum eximia virtus tua, intra angulum, & frugalissimas vitæ angustias, obliuioni mācipata, delitescere, & in obscuro iacere nō posset, quin sui vb̄iq; admirabilē fulgorem effunderet, ac claritatem excitaret, Enricus Rex sanctissimus, (cum vniuersa Lusitania in orbitate, & squallore iaceret, tristissimo, & funestissimo, defuncti Regis Sebastiani, casu afflictā: videretq; Antonium seditiosum & in tyrannidē erectū, immoderatoque conturbandæ Reip. desiderio mirabiliter flagrantem, obuiā ire contendens tot malis, quæ prudentissimus Rex euentura, animo præfagiebat) te diu in hoc tranquillo vitæ statu, & conditione, quā contemptis honoribus, sponte elegeras, permanere non passus: te, inquam, sacri palatij Capellanū maximum, & consiliarium, & Cōscientiæ amplissimū Presidem creauit, & constituit: præclarissimarumq; rerū negotijs præfecit: & quoniam imbecilles Christianissimi senis vires, tantum onus ferre non poterant, demum in tuos humeros totius regni molē, pondusq; reclinauit. Tu Presul amplissime, cum iure debitam Philippo Regi Maximo, ac potētissimo, successione probè intelligeres, nihil aliud tam enixe, elaborasti, quā vt ei Regnū citra cōtrouersiam, hæreditario iure debitū, tranquillum, ac quietum, tanquā fartum tectum, absq; vlla sanguinis effusione, viuo Enrico, traderetur. Timebas enim populares tumultus, ac seditiones, quas euenturas suspicabaris, propter insolentiā, audaciāq; Antonij, cui iam à morte Sebastiani, sitis insatiabilis affectati regni, & Reip. perdendæ studiū aderat, bella intestina, cædes, rapinæ, discordiaq; ciuilis grata fuerant. Quā ob rem inter tot rerū difficultates, & cogitationū fluctus, cum animi anxius, Rex sanctissimus, regni statū, & turbulentos ciuicū mores sedare, vulgusq;, quod maximè Antonij studiosum, cernebat pacificare conaretur: verè Christiana pietate motus, autor fuisti, vt idem, Rex excellentiss. Brigatiæ ducem, ipsumq; Antonium fide publica interposita (ne quicquā, aduersus patriæ salutē, Regniq; incolumitatem molirentur) solemnīs sacramenti religione obstringeret: quod gubernatoribus, quos ipse elegerat, & eorum sententiæ, & rei iudicatiæ parerent, vt si fidem interpositā temerè violassent, patriæ hostes, ac parricidæ, & tyrāni haberentur, perduellionisq; sententiā sustinerent: adeo, vt quicquid per ipsos gubernatores, factū, decretum ve foret, id sanctū, omni æuo, inuolabileq; obseruaretur. Hoc negocium, hæc tua prudentia, hoc consilio admirabili, hisq; fœderibus stabilitum, sanctissimi Regis animum, licet malè de Antonio suspicantem, paulisper mitigauit ac demulsi: & popularem coniurationem magnoperè concussit, ac labefactauit: fœdiorūq; hominū conatus repressit, ac disturbauit. Defuncto Enrico cū gubernatoribus tuo consilio, prudentiaq; labentem Lusitaniæ statū, collapsamq; regni maiestatem fulsisti, ac conseruasti, & in summa comitorum perturbatione, & tumultu, in varias partes diuisum, & diuisum nobilitatis, ipsiusq; Ecclesiastici ordinis statū, summo cum vitæ, ac dignitatis tuæ periculo reuocasti, & in fide retinuisti, ac Catholicæ Maiestatis partes, strenuè defendisti. Cum autem priuatis odijs exacerbata popularis multitudo, spe nonandarum rerum arrecta, sublato legum metu, iure suo quodāmodo omnia vendicaret, nimisq; licentiæ exultaret, & ipsa plebs, aduersus nobilitatē conspiraret, varisq; dissensionibus inter Lusitanos, qui iisdē legibus instituti, eademq; iuris societate deuincti erant, orirentur, vt periculū foret, eam contētionē, plerasq; ciuitates huius regni gloria, & diuturna fœlicitate florētes depopularā, regiāq; dignitatis statū immutatoram: Tu heros illustrissimè vnus ante alios meritā seruatiæ patriæ laudē feceris, & tunc maximè tuæ æternæ laudis gloria florebit, cum sæculi præsentis inuidia, viuidæ virtutis comes, aliquando cesserit. Faxit Deus Opt. Max. vt te Presul sanctiss. in sacro collegio inter purpuratos illos, togatos, Romanæ ecclesiæ proceres rubro galero frontē redimitū, ac demū Beatiss. Petri clauis gerentem, ad augmentum fidei, & Christianæ religionis cōseruationem, hæresum extirpationem: catholicæ ecclesiæ propagationem, Hispaniæ decus, & ornamentum, intueamur. Vale, Vlyssipponē, 25. mensis Februarij. M D LXXXII.

